

1484
Incendium.

diocrem domi cladem adiit. Ducarium nanque magna ex parte noctu absumptum est incendio. Ferunt sacrorum ministrum candelam in sacello Principis incensam, per incuriam reliquisse, cujus lapsu contractum sit incendium: sed per diem paulatim serpendo ignem sese aluisse; inde circa secundam noctis vigiliam flammam subito emicuisse: latius omnino, ut sæpe alias, pestis illa evagata fuisset, nisi civitatis accursu mature restinctus esset ignis. Severinas ubi ad Calcinatum castra communivit, aucto novis supplementis exercitu, ad hostem ire in animo habebat: quum præter spem allatum est, Asulam cum arce & præsidio in hostium potestatem venisse. Defixit omnium animos subito stupore ejus rei nuncius: quærebant inter se multi, quid esset quod Asulani, de quibus Venetum nomen optime meritum esset, tam cito hostem intra mœnia accepissent: quid arx ipsa, quæ munitissima esset? oportuit ne eam tam cito hosti deditam? Proculdubio tam subitam deditorem fraude non carere: aliquid sane fuisse, propter quod, mutata belli sede, præceps hostis in Brixienles reversus esset. Hæc in Venetis castris.

Aragonius autem Dux, tradito Mantuano Principi oppido, statuit quoquo modo Herculem fororium suum obsidione levare. Afferebantur ab illo literæ querelarum plenæ, nihil rebus suis profuisse, quod ea ætate cum maxima autumnii parte res ab eo in Venetos pulchre gesta esset: spectare ad alios eam victoriam, se & cives suos nihilo magis, quam antea obsidione levatos: Veneta signa in conspectu urbis esse: Padi ripas hostium stationibus teneri: nihil sese circa Ferrariam cernere, quod non Venetis præfidiis terra & aquis teneretur: orare proinde illum, vehementerque obtestari, ne se, ne Leonoram sororem, ne liberos quos ex ea procreasset, in tanto discrimine desereret. Appetere jam hybernorum tempus: quid futurum, si pertinacissimus hostis tota hyeme Ferrariæ mœnibus hærens, suæ suorumque civium cervicibus, ut antea, incumberet? quid futurum, quod solo admonitu animus horreret, si sociorum ille consensus interim re-

mit-